



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 7. Aquas terris non esse altiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

*eius, super montes stabant aquæ ( adeò multa atque altæ erant ) ita ab increpatione tua fugient ( aquæ ) ait idem vates, a voce tonitruui tui formidabunt. Vox tonitruui, hoc est, potentissima erat: Congregentur aquæ, quæ sub calo sunt, in unum locum, & appareat arida. Hac voce dirupta est terra, & imensas quasdam effecit, tum intra, tum extra se, cavitates, aggeresque, jecit; ut & moles essent fluctibus oppositæ, & fossæ, ac profundiores alvei, in quibus aquæ prius, per omnem terræ superficiem vndique æqualiter diffusæ, tanquam in vasis amplissimis, reciperentur; altioresque terræ montes, cumulos, & campos denudatos relinquerent. Illæ enim, quasi præ formidine, in fugam versæ, statim in locum sibi à Numine paratum confluxerunt; unde sine eius nutu non excurrunt. Qua de*  
**Pl. 103. 9.** *caussa ibidem dicit Propheta: Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.*

**Idem Lucret. ibid.**

*His igitur rebus retractis, terra repente, Maxima quæ nunc se Ponti plaga carula tendit,*

*Succidit, & salso suffudit gurgite fossas.*

§. VII.

*Aquas terris non esse altiores, Non*

Non enim illis subscribendum arbitror, qui censuerunt, aquas, ut terram detegerent, minusque extenderentur, ad Conditoris vocem ac mandatum, ita refugisse, ut in celsissimam altitudinem intumescerent; adeo, ut etiam nunc terram altitudine excedant. Siquidem omnia flumina, tandem intrant in mare; quæ cum per inferiores terræ partes semper ad ima decurrant, necesse est, mare non modo non celsius, sed terrâ longe depressius humiliusque esse. Aiunt quidem diuinæ litteræ, Deum posuisse legem, terminos, & præcepta aquis, & vices, ac ostia, ne transirent fines suos. His tamen testimonijs non conficitur, aquas, postquam non amplius efficiunt propriam spheram terræ proximam ac superextensam, nunc adeo super altitudinem terræ elatas esse, ut, nisi diuina vi coercerentur, facile, & suapte natura, erumperent, totamque denuo cooperirent. Licet enim naturales inclinationes creaturis ratione, immo & sensu carentibus à Deo indite, in diuinis libris subinde *leges* (non essentialiter, sed participatiue quodammodo) vocentur, non est tamen credibile, tales *leges* naturalibus rerum inclinationibus

Eccles. 1.  
7.

Pro. 8. 29.

Ier. 5. 22.

Iob. 38. 8.

Ita S.

Thom. 1.

2. q. 90. a.

1. ad 2.

natio-

nationibus perpetuò aduersantes, fuisse  
 datas. Alioqui mare, contra propriam  
 naturam & inclinationem, perpetuo mira-  
 culo eleuatum deberet contineri, ne ad in-  
 feriores locum, sua grauitate efflueret.  
 Quod in concauis terræ sinibus colloca-  
 tum non facit. Ascenderet, si exiret.

§. VIII.

*Quomodo aqua dici possint in vnum  
 locum collectæ?*

Secta igitur in varios sinus est terra, &  
 aquæ ipsæ diuisæ sunt, in lacus, amnes,  
 fluuios, & maria; tametsi congregatæ di-  
 cantur *in vnum locum*; in specie, non nu-  
 mero vnum scilicet; seu in vnius generis  
 locum, quod idem est, ac si dictum esset,  
 congregentur aquæ in loca terræ humilio-  
 ra. Ita eum nos locum intelligere cogunt,  
 multa maria, in diuersis terræ tractibus  
 separata: quæ quidem omnia ferè cum  
 Oceano conjuncta quodammodo videntur;  
 attamen mare Caspium vndique est  
 conclusum; & in Palæstina, circa regio-  
 nem Sodomorum & Gomorrhæorum, ma-  
 re quoque illud, in quod sese infundit  
 Iordanes, quod Scriptura *salsissimum* ap-  
 pellat, ab Oceano prorsus est diuisum.

Sicut